



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio III. De unione hypostatica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

At inquires. Concilia & Patres docent Verbum assumptiſſe perfectione omnes naturales hominis, excepto peccato. *R.* Concilia & Patres loqui de perfectionibus, ad naturam humanam pertinentibus, non verò de pertinentibus ad humanam hypotaſim: alioquin dicendum eſſet à Verbo non ſolùm naturam humanam, ſed etiam humanam perſonam aſſumptam fuiſſe, atque ita in Chriſto duas eſſe perſonas, quod Conciliis & Patribus repugnat, & eſt orthodoxæ fidei contrarium.

At inquit. Si humanitas Christi caret aliqua perfectione naturali, etiam pertinente tantum ad hypo-
statum humanum, etiam in statu violento. R. neg. Nam
multo melius est humanitati Christi, esse naturam per-
sonae divinae, quam habere propriam personalitatem;
& in Verbo subsistere, quam subsistere in se, nec sui
juris esse, sed Verbi. Nam ut rectè ait S. Bonaventura
in 3. dist. 5. art. 2. q. 2. Natura assumpta in Chri-
sto, eo ipso est nobilior, quod in nobiliori persona
subsistit, quia non in persona creata, sed in per-
sona increata: unde ordinatio ad dignius, quamvis
aufferat rationem suppositionis, tamen non auferit di-
gnitatis proprietatem. Melius enim est subesse superi-
ori, quam praesse alicui inferiori: sicut perfectior est
anima, cum possidet ad Deo, quam cum possidet res
creatas: & melius nubitur Virgo nobilis, cum contrahit
matrimonium cum Rege, cum subsit, quam cum contra-
hit cum rustico, cum praesit.

~~~~~

*De Unione hypostatica.*

## ARTICULUS I.

*Quid sit unio hypostatica.*

U Nionem hanc explicari non posse, docet S. Thomas opusculo 3. cap.6. *Quia*, inquit, *secundum quantitatem virtutis, quam Deus exerceat in creaturam, magis & minus dicitur creatura uniri, patet quod cum efficacia divina virtutis humano intellectu comprehendere non possit, sublimiori modo Deus potest creatura uniri, quam intellectus humanus capere possit. Quodam ergo incomprehensibili & ineffabili modo dicimus Deum unitum esse humanam naturam in Christo, non solum per inhabitationem, sicut in aliis Sanctis, sed quodam modo singulari, ita quod humana natura esse quodam Filii Dei natura, ut Filius Dei, qui ab eterno habet naturam divinam à Patre, ex tempore per assumptionem mirabilem habeat humanam naturam ex genere nostro.*

Hanc tamen hypostaticam unionem explicare ag-  
greditur lib.4. contra gentiles cap.41. ubi inter alia  
hæc habet : *Nihil igitur prohibet , secundum hanc  
modum ponere unionem humana nature ad Verbum :  
quod humana natura sit quasi Verbi instrumentum ,  
non separatum , sed conjunctum .* Sed hæc non suffi-  
ciunt : nam humanitas quidem Verbo unita esse in-  
telligitur , hoc ipso quod intelligitur esse instrumen-  
tum illius , non separatum , sed conjunctum : at ul-  
terius supereest explicandum id , quo formaliter huma-  
nitas Verbo conjungitur , & quod est ipsa unio hy-  
postatica .

Eandem itaque explicationem paulò aliter tentat S. Doctor 3. p. q. 2. a. 7. in O. ubi sic loquitur: *Dicendum quod unio, de qua loquimur, est relatio quedam, quæ confideratur inter divinam naturam & humanam, secundum quod conveniunt in una persona Filii Dei.* Sed neque hæc explicatio sufficit: nam rectè quidem dicitur, divinitatem & humanitatem in Verbo unitas esse, eo ipso quòd conveniunt in persona Verbi; at non dicit S. Thomas id, quò formaliter conveniunt, & in esse personali Verbi indivisæ & indiscretæ sunt, quod tamen est ipsa unio hypostatica.

Alii dicunt unionem hypostaticam nihil aliud esse,

quàm ipsam Verbi divinitatem & humanitatem, prout se ipsis formaliter faciunt unam personam compositam. Sed hi primò supponunt falsum, nempe aliquid tertium componi ex divinitate Verbi & humanitate. 2. Confundunt unionem cum unitate, vel, si vis, afferunt unionem absolutam, de qua non agitur, & quæ aliud non est, quàm abstractum metaphysicum totius, ex pluribus constituti; afferunt, inquam, unionem absolutam pro unione relativa, hoc est, pro unione extremorum ad invicem, de qua quæstio est, & quam supponit unio absoluta: prius enim est humanitatem uniri cum divinitate Verbi, & vicissim; quàm humanitatem & divinitatem Verbi, se ipsis componere aliquid tertium substantiale, dato quod componant.

Docent alii, unionem hypostaticam nihil aliud esse, quam humanitatem prout terminatur à Verbo, & ipsum Verbum, prout terminat humanitatem. At hi per to humanitatem terminari substantialiter à Verbo, vel intelligunt, humanitatem à Verbo reddi incommunicabilem, vel intelligunt humanitatem à Verbo compleri ultimò substantialiter. Sed utrovis modo intelligant, prius est humanitatem uniri Verbo, quam ab eo terminari: Verbum enim non potest reddere humanitatem incommunicabilem, aut eam ulterius complere substantialiter, quin prius unjatur illi.

Alii volunt unionem hypostaticam esse modum quendam substantialem, à Verbo & humanitate realiter distinctum, & in humanitate receptum, quo humanitas Verbo unitur formaliter. At hi non unionis hypostaticæ ideam, sed verba tantum dant.

Durandus in lib. 3. dist. 5. quæst. 2. num. 8. significat, unionem hypotaticam esse novum essendi modum naturæ humanæ. Bene quidem : sed quæritur, quis sit ille novus essendi modus ? Explicat ipse, sed obscuretur num. 11. his verbis ? *Resat ergo, unionem sic fuisse terminatam ad unum in persona, vel subsistentia, quod tota personalitas, vel subsistentia est a persona & natura divina; humana vero solius inexistit, & quantum ad hoc degenerat in accidens, licet sit vera subsistentia.*

Unus ex omnibus præsentem difficultatem enucleatius explicasse videtur Scotus in 3. dist. 1. q. 1. ubi ait 1. Unionem hypostaticam non esse aliquid absolutum, quia, inquit, *unio non intelligitur ad se.* 2. Unionem hypostaticam esse relationem aliquam: *Cum non sit nihil,* inquit, *saltem dicitur unio relationem.* 3. Hanc relationem non esse communem utrique extremo, & quæ in utroque sit ejusdem rationis, qualis est similitudo: nam *persona*, inquit, *assumens, nullam habet relationem realem ad naturam creatam.* 4. Itaque hanc unionis hypostaticæ relationem esse relationem disjunctantæ, realem, existentem in natura assumpta, cui nulla relatio realis correspondet ex parte personæ assumptis, atque ita relationem hanc esse relationem subordinationis, & dependentiæ in natura assumpta ad personam assumptam.

5. Hanc relationem subordinationis & dependentiæ esse rationis alterius & diversæ ab omni dependentiæ & subordinatione causati ad causam, & causati posterioris ad causatum prius. *Non est autem*, inquit, *ordinis causati ad causam*, quia illa est communis ad totam Trinitatem; neque *causati posterioris ad causatum prius*, quia Verbum non est aliquid causatum, &c. 6. Hanc relationem subordinationis & dependentiæ, quam natura assumpta ad personam assumentem habet, simillimam esse subordinationi & dependentiæ, quam accidens habet ad subiectum. Pro quo

Distinguit duplicem habitudinem accidentis ad subiectum. Prima est, ut informatum ad informatum; secunda vero ut natura posterioris ad naturam prius, à quo dependet, non tamen ut à causa etiam materiali, nisi quatenus informat ipsum. Prima, habitudo est dependentia subiecti ad accidens, & arguit in subiecto imperfectionem. Secunda vero est habi-

habitus dependentiæ accidentis ad subiectum, & nullam dicit imperfectionem in subiecto, sed tantum dicit in eo rationem naturæ prioris & sustentantis respectu accidentis: unde nihil vetat huic secundæ habitudini accidentis ad subiectum, similem esse relationem dependentiæ, quam natura assumpta habet ad naturam assumentem.

*Licet, inquit, difficile sit videre aliquam dependentiam esse talem (qualis est humanitatis ad Verbum) tamen ista potest patere aliquantulum in subiecto & accidente. Accidens enim ad substantiam sive ad subiectum suum duplicem habet habitudinem, scilicet informantis ad informatum, & ista necessario includit imperfectionem in subiecto informato, eo scilicet quod potentialitatem habet respectu actus secundum quid, scilicet accidentis; aliam habet, ut posterius naturaliter ad prius, à quo dependet, non ut ab aliqua causa; quia si habet subiectum pro aliqua causa, habet ipsum pro causa materiali, & hoc est, in quantum informat ipsum.*

*Si igitur, pergit Scotus, istæ duæ habitudines accidentis ad subiectum ab invicem distinguantur, altera necessario est ad subiectum sub ratione imperfectionis in ipso subiecto, scilicet potentialitatis, altera nullam imperfectionem necessario ponit in eo, sed tantum prioritatem naturalem, & sustentationem respectu accidentis. Huic simillima est ista habitudo, quæ est dependentiæ naturæ humanæ ad personam divinam, quæ est extra omnem dependentiam causati ad causam.*

7. Denique addit, terminare hanc relationem subordinationis & dependentiæ, non repugnare personæ divinæ, neque in quantum est persona divina. *Quia, inquit, nec compositionem, nec potentialitatem, nec limitationem importat in terminante: non enim oportet, nisi quod terminans istam dependentiam, sit in se aliquid independens, habens entitatem talem, quæ requiritur ad terminandum istam dependentiam, &c.* Neque in quantum est hæc persona: Nam, inquit, omnis entitas personalis independens potest sufficienter terminare istam dependentiam: talis est entitas propria cuiusque persone (divinæ) etiam ut distinguitur ab alia. Sententiam Scoti hæcenus expositam proponimus, & confirmamus sequentibus propositionibus.

## PROPOSITIO I.

Unio hypostatica humanitatis cum Verbo, est aliqua relatio transcendentalis humanitatis ad Verbum.

1. Est relatio, ut præter Scotum docet S. Thomas hic q. 2. art. 7. in O. & ratio est, quia unio non est ad se, sed ad aliud, & quod unitur, alteri unitur. 2. Est relatio transcendentalis. Ratio est, quia vel est relatio transcendentalis, vel categorica: at non est relatio categorica, nam categorica relatio aliud non est, quam plura absoluta modo relativo concepta. Præterea, sic argumentor. Relatio categorica resultat ex fundamento. Atqui relationis categoricæ unionis fundamentum aliud esse non potest, quam ipsa unio; unitum enim non habet relationem categoricam ad illud, quocum unitur, nisi quia cum eo unitur. Ergo relatio categorica, si quam scilicet habet natura assumpta ad personam assumentem, resultat ex unionis hypostaticæ, addeoque non est ipsa unio hypostatica, sed eam supponit, & in ea fundatur.

## PROPOSITIO II.

Unio hypostatica humanitatis cum Verbo est transcendentalis relatio alicuius dependentiæ, quam humanitas habet ad Verbi personalitatem.

*Prob. 1. Nam ut ait S. Thomas opusculo 3. cap. 6. Tanto alicui nature perfectius unitur (Deus) quanto in eo magis suam virtutem exercet. Unde sic argumentor. Univit sibi Verbum humanitatem hypostaticè, operando in ea mirabili quodam & ineffabili modo. Ergo humanitas unita est hypostaticè Verbo per mirabilem quandam & ineffabilem dependentiam, quam habet ad Verbum; nam hæc sunt correlativa. Et certè Verbum eatenus univit sibi hypostati-*

*Simonnet Theol. Tom. II.*

cè humanitatem, speciali quodam modo operando in ea, quatenus vi talis modi operandi in humanitate, humanitas ad personam Verbi specialem quandam habet dependentiam, vi cuius est Verbi natura propriè.

2. Verbum univit sibi hypostaticè humanitatem, illam assumendo, ut docent Patres, & cum eis S. Thomas loco proximè citato. Sed hæc assumptio nihil aliud dicit, aut dicere potest ex parte humanitatis, quam specialissimam aliquam illius ad Verbum dependentiam, vi cuius Verbum est verè ac propriè suppositum illius. Ergo, &c.

## PROPOSITIO III.

Unio hypostatica humanitatis cum Verbo, quantum intellectu creato attingi potest, videtur esse constituenda in sustentatione formali humanitatis, seu in ipsa humanitate, ut formaliter sustentata à proprietate relativa Verbi.

*Prob. Nam 1. formalis illa sustentatio humanitatis est relatio humanitatis ad Verbum: humanitas enim ut sustentata formaliter à Verbo, si habet ad illud, & ad illud taliter se habet. 2. Est relatio transcendentalis: nam humanitas, ut sustentata formaliter à Verbo, est ad illud taliter, non ut ad terminum purè, sed ut ad formale sustentativum. 3. Est relatio dependentiæ: humanitas enim, ut formaliter sustentata à Verbo, habet ad illud specialem dependentiam. 4. Est relatio dependentiæ, sufficientis ad unionem hypostaticam: nam Verbum univit sibi hypostaticè humanitatem, eam suscipiendo & assumendo, & eam suscepit & assumpsit, suam faciendo: Non enim, inquit sanctus Leo in sua ad Flavianum epistola, superare nos possemus peccati & mortis auctorem, nisi naturam nostram ille susceperet, & suam faceret. Ergo humanitas eo ipso hypostaticè unitur Verbo, quod est sua natura Verbi, & sic vicissim Verbum est persona humanitatis. Atqui humanitas eo ipso est verè, propriè, & intrinsecè sua natura Verbi, quod formaliter sustentatur ab eo: sicut accidens est verè, propriè, & intrinsecè suum subiecti, eo ipso quod ab eo sustentatur formaliter. Ergo, &c.*

*Confirm. Quia 1. formalis illa sustentatio nihil supponit in humanitate, quo dici possit uniri formaliter Verbo; sed è contra alia, in quibus ab aliis unio hypostatica constituitur, supponunt illam. 2. Formalis illa sustentatio nec ex parte Dei, nec ex parte humanitatis repugnat: quare enim repugnaret, Deum producere & conservare humanitatem, & humanitatem produci, & conservari, dependenter à Verbo, illam formaliter sustinente? 3. Non etiam repugnat ex parte personalitatis Verbi: quidni enim Verbum posset humanitatem sustentare formaliter per suam proprietatem relativam? Præterea, hoc nullam imperfectionem importat in Verbo. Nec dic humanitatem Verbum informare, si ab eo formaliter sustentatur, sicut accidens subiectum, à quo sustentatur, informat: nam humanitas non perficit Verbum, sicut accidens perficit subiectum.*

4. In hac hypothesi facillè intelligitur, quare solum Verbum assumpsit humanitatem, & humanitas hypostaticè unita sit Verbo, non Patri, aut Spiritui sancto. Ratio enim in promptu est, quia humanitas formaliter sustentatur à solo Verbo, & ita solius Verbi ut suppositi sua est. Item facillè intelligitur illud sancti Thomæ hic q. 2. art. 7. in O. *Hæc unio (hypostatica scilicet) non est in Deo realiter, sed secundum rationem tantum; in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est.* Nam eo ipso quod humanitas à Verbo formaliter sustentatur, est natura Verbi, & vicissim Verbum est persona humanitatis, sicque humanitas realiter refertur ad Verbum, non Verbum ad humanitatem: formalis enim sustentatio est realis relatio humanitatis ad Verbum, cui nihil correspondet ex parte Verbi, quo vicissim Verbum ad humanitatem refertur realiter; unde unio hypostatica tota se tenet ex parte humanitatis.

Item multò melius, quam in qualibet alia sententia,

II 2 tia,

ria, intelligitur, quare humanitas Christi non sit hypostasis, non sit sui juris, sed alterius, nempe Verbi; non sit id quod, sed id quo Verbum agit, non habeat Verbum, sed à Verbo habeatur: in hac enim sententia Scoti, humanitas à Verbo assumpta, est in alio non solum ut toro, & ut ipsam complente substantialiter, sed etiam ut formaliter sustentante: unde minus est hypostasis, minus est sui juris, &c. quam manus v. gr. pes, aut quælibet alia corporis pars: manus enim, pes, &c. non sunt in alio ut formaliter sustentante. Hinc Durandus loco supra citato non malè ait, naturam humanam in Christo ita inexistere Verbo, ut quantum ad hoc degeneret in accidentis, licet sit vera substantia, quatenus scilicet Verbo inexistit modo accidentis proprio, quamvis idcirco non desinat esse substantia.

5. Denique hæc Scoti sententia planè consonat Patribus, asserentibus Verbum humanitatem quam assumpsit, sibi univisse modo ineffabili: sustentatio enim illa formalis, in qua unionem humanitatis cum Verbo constituit Scotus, dicit in Deo mirabilem prorsus & ineffabilem operandi modum circa humanitatem: nam prorsus mirabile & ineffabile est, quod Deus ita producat, & conservet humanitatem illam, ut verè ac physicè incumbat Verbo, & sic incumbat, ut hoc fulcimento deficiente, in nihilum abiret.

Dices. In hac sententia, unio hypostatica non erit supernaturalis. R. neg. Nam est modus essendi, humanitatis vires omnes, omnemque naturæ exigentiam superans: naturaliter enim impossibile est, & naturæ planè indebitum, quod substantia aliqua sic producat, & conservetur, ut verè ac physicè personæ divinæ incumbat, & ab ea formaliter sustentetur; ita ut sublata hac sustentatione, substantia illa statim deficeret, nisi nova aliqua actione majore teneretur in esse.

Dices 2. In hac sententia, humanitas Christi non esset substantia. R. neg. In hac igitur sententia Scoti humanitas Christi non desinit esse substantia, sed solum non existit ad modum existendi substantiæ naturalis, & quo naturaliter carere non potest.

At inquires. Substantiam necesse est desinare substantiam esse, hoc ipso quod ab alio formaliter sustentatur. R. neg. Ex eo enim quod substantia non existat, nisi dependenter ab alio ipsam sustentante formaliter, sequitur tantum quod non habeat eum existendi modum, quem naturaliter exigit, & sine quo naturaliter esse non potest: non autem sequitur, quod desinat esse substantia, quia substantiæ essentialis non est, existere independentem ab omni formaliter sustentante, sed solum essentialis est, posse, & exigere sic existere. Igitur in Scoti sententia humanitas Christi est vera substantia, quia potest, & exigit naturaliter, exigentia naturaliter infulcrabili, existere independentem ab omni sustentativo formali: at, quod aliud est, non existit ad modum substantiæ, sed ad modum accidentis, quia tam verè ac physicè incumbit proprietati relativæ Verbi, quam accidentis subjecto.

Dices denique. Formalis illa sustentatio, quam inducit Scotus, videtur insufficiens esse ad unionem substantialem & hypostaticam humanitatis cum Verbo explicandam. R. neg. Hoc ipso enim quod humanitas Christi intelligitur existere in Verbo, seclusa tamen omni imperfectione ex parte Verbi, ad modum quo accidentis existit in subjecto, intelligitur, adherere Verbo, subsistere in Verbo, esse verè ac propriè intrinsicè Verbo, esse organum quoddam & instrumentum Verbi conjunctum, inferi Verbo, & ita cum divinitate in unam personam concurrere, esse verè, propriè & intrinsicè naturam Verbi, quod proinde est aliquid ejus complementum substantiale, ipsamque substantialiter terminat.

Sententiam Scoti hæcenus expositam & probatam tenet Valquez tom. 1. in 3. p. sancti Thomæ disp. 18. c. 3. ubi num. 28. sic loquitur: „Dico igitur modum substantialem naturæ humanæ in Verbo (quem commode vocare possemus modum inexistentiæ, quia „

natura humana, quæ per se existere poterat, in alio existit tamquam in supposito, licet non tamquam in subjecto) esse modum, ut vocant, dependentiæ naturæ humanæ à Verbo, non tamquam à causa propriè, sed tamquam à supposito terminante, & sustentante: siquidem natura sustentata à supposito alieno, & in eo existens, verè ab eo in suo genere pendere dicitur. „In eo tamen dissentit à nobis, quod velit modum illum, quo humanitas existit in Verbo, eique incumbit, & incumbendo unitur, esse realiter distinctum ab ipsa humanitate, & Verbo; nos verò velimus esse modum purum se habendi in humanitate, seu esse ipsam humanitatem, seipsa formaliter sese taliter habentem ad Verbum. Quod ut melius intelligatur, sit

## ARTICULUS II.

*Respondetur Modestis, unionem hypostaticam in modo quodam substantiali, à Verbo & humanitate realiter distincto, constituentibus.*

**O**bjicies. Unio hypostatica est saltem modus ab humanitate & Verbo realiter distinctus. R. neg. Et dico modum illum, à Verbo & humanitate realiter distinctum, veteribus Philosophis ac Theologis incognitum, à modernis fabricatum, hic inutilem esse, adeoque rejiciendum, juxta illud axioma in scholis receptissimum. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Dices 1. Potest esse Verbum, & simul esse hæc Christi humanitas, & tamen hæc humanitas non esse unita Verbo. Ergo humanitatem esse unitam Verbo, importat aliquid præter humanitatem & Verbum simul existentia. Non nisi modum realiter distinctum ab utroque. Ergo, &c. R. neg. subsumpt. & dico illud quod, humanitatem esse Verbo unitam, importat præter humanitatem & Verbum simul existentia, esse modum purum se habendi humanitatis, seu ipsam humanitatem, non simpliciter, sed cum addito, ut Verbo se ipsa formaliter incumbentem.

Dices 2. Illa distinguuntur realiter, quæ nemine cogitante separari possunt. Sed humanitas Christi separari potest ab unione hypostatica: posset enim existere, & non esse unita Verbo. Ergo, &c. R. illa distinguuntur realiter, quæ possunt, nemine cogitante, separari simpliciter, & quoad entitatem. At humanitas à Verbo assumpta non potest simpliciter, & quoad entitatem, ab unione hypostatica separari, sed tantum secundum quid, quatenus humanitas à Verbo assumpta, sic est Verbo unita per se ipsam formaliter, ut posset existere, & non esse ei unita, quia per se ipsam formaliter ita Verbo incumbit, ut posset existere, & tamen Verbo non incumbere, sicut revera fieret, si desineret à Deo conservari dependenter à Verbo, eam formaliter sustentante, seu, quod idem est, si nova actione, eaque fortiore, teneretur in esse independentem à Verbo. &c.

Dices 3. Humanitas unita Verbo alia est, quam si non esset unita. R. aliam esse, non quod entitatem aliquam habeat, quàm non haberet, si non esset unita; sed quia habet purum essendi modum, quo careret, si non esset unita: nam unita Verbo, existit dependenter ab eo tamquam formali sustentativo, quo modo non existeret, si ei unita non esset; tunc enim existeret ad modum aliarum substantiarum, adeoque independentem ab omni fulcro.

Dices 4. Si humanitas Christi relinqueretur à Verbo, de unita fieret non unita, adeoque transiret de contradictorio intrinsicè ad contradictorium intrinsicè. Ergo tunc amitteret aliquam entitatem. Non nisi entitatem unionis hypostaticæ. Ergo, &c. R. neg. conseq. Ut enim substantia aliqua transeat à contradictorio intrinsicè ad contradictorium intrinsicè, non requiritur ut amittat, vel acquirat entitatem aliquam, sed sufficit, si purum aliquem modum essendi intrinsicè amittat, vel acquirat. At inquires. Si humanitas Christi

Christi relinqueretur à Verbo, tunc mutaretur intrinsecè. *R.* Mutaretur quidem intrinsecè, sed mutatione putà modali, quia tunc amitteret tantum purum modum essendi.

*Dices 5.* Humanitas Christi de se indifferens est, ut uniatur vel non uniatur Verbo. Ergo ut uniatur Verbo, requiritur entitas ab ea realiter distincta, eique superaddita. *R.* neg. cons. Nam humanitas Christi sic est de se indifferens, ut Verbo uniatur, vel non uniatur, ut tamen habeat, seclusa omni entitate ei realiter superaddita, quicquid intrinsecè requiritur ad hanc unionem: habet enim per se, quicquid intrinsecè requiritur, ut Verbo incumbat: nam ad hoc requiritur & sufficit, ut habeat entitatem aptam produci & conservari dependentem à Verbo ut formali sustentativo; & hoc ipso quòd sic producit, & conservat, se ipsa formaliter incumbit Verbo, adeoque se ipsa formaliter & immediate Verbo unitur hypostaticè.

*Dices 6.* Omnis vera actio positiva & realis habet terminum realem positivum. Sed unio humanitatis cum Verbo est vera actio realis positiva. Ergo habet terminum realem positivum. Atqui terminus ille alius non est, quam unio hypostatica. Ergo unio hypostatica est entitas modalis, ab humanitate & Verbo realiter distincta. *R.* neg. hanc ultimam consequentiam: ad hoc enim ut unio hypostatica sit terminus realis & positivus actionis realis & positivæ, non requiritur, ut sit entitas; purus enim modus se habendi contingens, est aliquid reale & positivum, & potest esse terminus actionis realis & positivæ, quod longa inductione demonstrari posset.

*At inquit.* Omnis actio realis positiva producit aliquam entitatem. Ergo actionis realis positivæ terminus esse non potest, nisi entitas producta. *R.* neg. ant. quod gratis omnino ab adversariis pro principio assumitur. Itaque actio realis positiva alia productiva est, alia verò purè modificativa: productiva habet pro termino entitatem de novo productam: purè verò modificativa habet pro termino modum se habendi purum, & nihilominus realem & positivum. Adde, etiam si concederemus, omni actione reali positiva produci entitatem aliquam, nihil inde effectum iri pro adversariis: nam adhuc etiam rejecta unione hypostatica, quæ sit entitas modalis, ab humanitate & Verbo realiter distincta, unio humanitatis cum Verbo habebit pro termino entitatem de novo productam, nempe ipsam humanitatem: unio enim illa est actio productiva humanitatis, non quidem simpliciter, sed cum addito, dependenter à Verbo ut sustentativo formali. Sed ex occasione data,

*Nota 1.* Humanitas Christi eadem indivisibiliter actione producta est, & verbo unita; ita ut pro nullo signo etiam rationis tantum prius existerit, quam unita fuerit Verbo, ut luculenter docet Leo Magnus in sua ad Julianum Coensem epistola, quæ incipit, *Licet per nostros*, & in qua sic ait: *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.* Quod factum esse intelligitur, hoc ipso quòd intelligitur humanitas producta esse dependentem à Verbo ut formaliter eam sustentante.

2. Hujus actionis terminus duplex est, unus scilicet immediatus & proximus, alter verò medius & ultimus. Terminus immediatus & proximus est humanitas per se ipsam formaliter tali modo existens, seu humanitas incumbens Verbo. Terminus medius & ultimus est Verbum homo: nam Verbum homo est id, quod in hac actione per se intenditur, & quod ex ea resultat: Verbum enim est homo humanitate ipsi incumbente, seu humanitate dependenter ab eo ut formali sustentativo existente; & humanitas producta est dependenter à Verbo tanquam formali sustentativo, ut Verbum esset homo.

3. Hac actio dicitur unio, incarnatio & assumptio. Unio est, quatenus productiva est naturæ dependentem à Verbo ut sustentante: incarnatio est, quatenus naturæ, quæ caro est, productiva est de-

*Simonnet Theol. Tom. II.*

pendenter, &c. Sub utroque hoc nomine attribui potest & debet toti Trinitati: tres enim personæ actione communi produxerunt dependentem à Verbo, ut fulcro, naturam illam, quæ caro est. Hac actio denique est assumptio, sed respectu Verbi tantum: nam personam assumere naturam, est personam producere naturam ipsi incumbentem, seu producere naturam dependentem à se ut sustentante, quod soli Verbo convenit.

4. Denique, actionis hujus æconomia tota convenienter explicari potest in hunc modum. 1. Trinitas cepit conservare dependentem à Verbo (supple semper, ut formali sustentativo) partes materiæ, ex qua constandum erat corpus Christi. 2. Ex partibus illis Verbo incumbentibus efformatum est Christi corpus, Spiritu sancto superveniente, & obumbrante Virgini, quæ ad hanc efformationem non solum passivè, sed etiam activè concurrebat, juxta veriorum sententiam. 3. Trinitas creavit animam rationalem dependentem à Verbo, eamque eodem instanti infudit corpori organizato, & sic ex corpore & anima Verbo incumbentibus, producta est humanitas Verbo incumbens: sic ex corpore & anima, quæ jam erant sua Verbi, resultavit humanitas sua Verbi; sic Verbum caro factum est; sic actio generativa Virginis terminata est ad Verbum hominem factum.

## ARTICULUS III.

*Qualis sit Unio hypostatica.*

## RESPONSIO I.

**U**Nio hypostatica est unio substantialis.

*Prob.* Unio secundum hypostasim facta, substantialis est. Sed talis est unio humanitatis cum Verbo, ut docent Patres & Concilia, unde hypostatica nominatur. Ergo, &c. Hac ratio est S. Thomæ hic q. 2. a. 6. ubi sic ait in O. *Fides catholica non dicit unionem factam Dei & hominis secundum essentiam, vel naturam, neque etiam secundum accidentia, sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasim.* Tum in resp. ad 3. *Sufficit ad hoc, quod non sit unio accidentalis, quod sit facta unio secundum hypostasim, licet non sit facta unio secundum naturam.* Et verò eatenus unio Verbi cum humanitate facta est secundum hypostasim, quatenus per illam unionem factum est, ut una esset persona Dei & hominis in Verbo, seu ut una persona, nempe Verbum, esset Deus & homo. At profectò talis unio non accidentalis, sed substantialis dicenda est.

*Confirmatur.* Sic humanitas Verbo unitur, ut non denominet illud humanatum, sed hominem. Ergo non denominat illud per modum formæ accidentariæ. Ergo non advenit illi per modum formæ accidentariæ. Ergo non advenit illi per unionem accidentalem. Ergo per substantialem. Præterea, sic humanitas unitur Verbo, ut faciat illud esse substantiam, nempe hominem. Ergo unio ejus cum Verbo dici debet substantialis, non accidentalis.

*Dices.* Quod advenit alicui post esse completum, advenit ei accidentaliter. Sed humanitas in tempore advenit Verbo, habenti esse completum ab æterno. Ergo, &c. *R. 1.* neg. maj. universaliter sumptam. *R. 2.* dist. maj. Quod advenit alicui, &c. advenit ei accidentaliter, si non trahatur in communionem illius esse completi, Conc. maj. Si trahatur, Neg. maj. Humanitas autem sic advenit in tempore Verbo, habenti ab æterno completum esse, ut trahatur ad communionem illius esse completi, quod Verbum habet: trahitur autem, quia vi unionis hypostaticæ, tam verè Verbum est persona naturæ humanæ, quam naturæ divinæ; atque ita una & eadem est in Verbo persona divinitatis & humanitatis. Hanc responsionem suggerit sanctus Thomas articulo proxime citato in resp. ad 2.

## RESPONSIO II.

Unio hypostatica est unionum maxima in ratione doni.

*Prob. 1.* ex S. Augustino, lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. ubi ait: *Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei & filius hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & Filius Dei propter suscipientem unigenitum Deum, veraciter & propriè diceretur ... prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa & summa subiectio, ut quò attolleretur altius, non haberet: sicut pro nobis ipsa divinitas, quousque se deponeret humilius, non habuit.*

*Prob. 2.* ratione. Quia humanitas per hanc unionem hypostaticam, esse divinum tam perfectè participat, quàm participari potest à creatura, & perfectius participat, quàm participari possit quacunque alia ratione possibili: nam vi hujus unionis, persona divina est persona humanitatis, adeoque persona divina est humanitatis complementum quoddam substantiale, & ab ea participatur substantialiter, quo nihil excellentius & sublimius creatura potest contingere.

*Obj.* Visio beatifica est quid perfectius unione hypostatica. Nam per hanc unionem sola Verbi persona conjungitur humanitati: per beatificationem verò visionem tota essentia divina cum tribus personis conjungitur beato. Ergo, &c. *R. neg. ant. Ad prob. R.* Totam essentiam cum omnibus personis beato conjungi per visionem, sed accidentaliter tantum & intentionaliter: at per unionem hypostaticam persona Verbi substantialiter conjungitur humanitati, hoc ipso quòd vi hujus unionis Verbum sit substantia humanitatis, quod longè perfectius est intensivè.

*Dices 1.* Unio hypostatica humanitati tribuit tantum, ut in Verbo subsistat. At visio tribuit ei, ut beata sit. *R.* unionem hypostaticam utrumque tribuere humanitati Christi, nempe & ut subsistat in Verbo, sicque verè ac propriè sit natura illius, & ut beata sit. Primum tribuit proximè & immediatè, secundum verò consequenter: nam humanitati, Verbo secundum hypostaticam unità, debetur & quidem instruitur visio beatifica.

*Dices 2.* Unio hypostatica est in entitate naturalis, cum sit purus essendi modus humanitatis. At visio beatifica in entitate supernaturalis est. Ergo, &c. *R. neg. min.* Cum enim visio beatifica sit etiam purus modus intellectus beati, per lumen gloriæ elevati, & se ipso ac sine entitate superaddita, clarè intueris Deum sibi intimè præsentem, est etiam in entitate naturalis: cum entitas intellectus sit ejus entitas, adeoque quoad modum tantum supernaturalis est, quatenus intellectum clarè intueri Deum præsentem, vires omnes, omnemque exigentiam naturæ superat: sicut produci & conservari naturam humanam dependenter à proprietate relativa Verbi tanquam sustentativo formali, superat naturæ vires omnes, omnemque illius exigentiam: unde simpliciter supernaturalis est modus ille, quo humanitas in Verbo existit, & in quo consistit unio hypostatica.

## RESPONSIO III.

Unio hypostatica est unionum maxima quoad vim unendi.

*Prob.* Quia revera vim habet unio hypostatica perfectè conjungendi extrema, ab invicem infinitè distantia, divinitatem scilicet & humanitatem; ita ut divinitas & humanitas sint unum in persona: sic enim inter se connectuntur, ut una sit persona utriusque, & ideo eadem persona sit Deus & homo.

*Confirm.* Ita unio hypostatica conjungit humanitatem cum Verbo, licet infinitè distent ab invicem in perfectione, ut humanitas tam verè ac propriè sit natura Verbi, quàm divinitas, & per humanitatem tam verè ac propriè Verbum sit homo, quàm Deus est per divinitatem: unde sicut omnia attributa divinitatis, & operationes ejus ad extra sunt verè ac pro-

priè Verbi, ita omnia attributa humanitatis, & omnes ejus actiones ac passionés, sunt verè ac propriè Verbi: quare Verbum verè ac propriè habet oculos, manus, &c. verè ac propriè videt, tangit, & verè ac propriè esurit, detragatur, &c.

Ita Angelicus Doctor opusculo 3. cap. 6. ubi ait: *qualibet partes humane nature ipsius Filii Dei dici possunt Deus, & quicquid agit, vel patitur, quelibet pars nature humane in Filio Dei, potest attribui unigenito Dei Verbo: unde non inconvenienter dicimus animam & corpus esse Filii Dei, sed & oculos, & manus, & quod Filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, & audit per aures auditum, & sic de aliis, quæ paribus anima vel corporis convenire possunt.*

Porro humanitas tam propriè Verbi natura est, quàm divinitas, cum duplici discrimine. Nam 1. divinitas est natura Verbi, & Verbum per illam est Deus, propter illius identitatem cum Verbi proprietate relativa; humanitas verò est natura Verbi, & Verbum per illam est homo propter illius cum eadem Verbi proprietate relativa unionem. 2. Divinitas, ut modificata per proprietatem relativam Verbi, constituit Verbum simpliciter seu in esse Verbi, & ita est primum esse Verbi; humanitas verò cum eadem Verbi proprietate relativa hypostaticè unita, constituit Verbum cum addito, seu Verbum esse hominis, & ita solum est secundum & adventitium esse Verbi, quo proinde sublato, Verbum non desineret simpliciter, sed tantum desineret esse homo: at sublata per impossibile natura divina, Verbum simpliciter desineret.

*Quæres*, utrum unio hypostatica sit etiam omnium maxima quoad firmitatem?

*R. negativè*: nam si esset omnium quoad firmitatem maxima, certè quia dissolvi non potest ab ullo agente naturali. At hæc ratio non valet: sunt enim etiam alie uniones, quæ à nullo agente naturali dissolvi possunt, qualis est unio quantitatis radicalis cum materia.

*Quæres iterum*, an fuerit aliqua dispositio prævia ad unionem hypostaticam?

*R. negativè*. Ratio est, quia una & eadem indivisibiliter actione, & pro eodem instanti etiam rationis humanitas fuit producta & Verbo unita; cum producta fuerit dependenter à Verbo ut formali sustentativo, sic ut pro nullo instanti etiam rationis prius extiterit, quàm à Verbo sustentaretur, eique incurreret, ac proinde prius, quàm inexistet Verbo ut supposito.

## ARTICULUS IV.

*Utrum ex unione hypostatica resultarit persona composita?*

**S**olet sic proponi hæc quæstio, utrum composita sit persona Christi; circa quod plures sunt sententiæ. Prima est antiquiorum Theologorum, ut Magistri sententiarum, sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ, Scoti, Durandi, &c. & docet personam Christi non esse compositam compositione absoluta; quam compositionem Durandus, lib. 3. dist. 6. qu. 3. in O. appellat compositionem hujus ex his, quia ex componentibus resultat aliquod tertium, sicut v.g. ex corpore & anima rationali resultat homo. Secunda sententia, quæ est modernorum Theologorum, affirmat personam Christi sic esse compositam, ita ut secundum illos, persona Christi sit tertium aliquod totum substantiale, resultans ex Verbo & humanitate. Tertia sententia, quæ est recentioris, quodam modo media est, & distinguit Christum à persona Christi, asseritque Christum quidem compositum esse compositione absoluta, personam verò Christi nonnisi impropiè esse compositam.

## RESPONSIO I.

Persona Christi non est absolute composita ex divinitate, vel, si vis, ex personalitate Verbi & humanitate: ita ut persona Christi sit aliquid tertium, resultans

trans ex divinitate, aut ex personalitate Verbi & humanitate: sicut homo, v.g. est aliquid resultans ex corpore & anima.

*Prob. 1.* Auctoritate veterum Scholasticorum, pro quibus omnibus hic nobis sufficit Doctor Angelicus, qui in 3. sententiarum dist. 1. qu. 1. art. 1. in O. Primo distinguit triplicem modum unionis. Dicendum, inquit, quod unio aliquorum duorum, vel trium, potest esse tripliciter: uno modo, secundum quod aliqua non uniuntur ad invicem, nisi per conjunctionem eorum in aliquo uno; quadam vero uniuntur & converso per conjunctionem eorum ad invicem, & in aliquo uno, quod ex eorum conjunctione constituitur, quadam vero per conjunctionem eorum adinvicem, sed non in aliquo uno, quia ex eorum conjunctione nihil resultat.

Secundo, triplicem hunc unionis modum exponit in exemplis. Primum horum, inquit, contingit quatuor modis, quia vel illud unum, in quo coniunguntur, est idem numero: sicut duo brachia coniunguntur in uno pectore, vel duo rami qui se non tangunt, nisi in uno trunco... quae vero iunguntur ad invicem & in aliquo uno, ex eorum conjunctione constituto, sunt sicut materia & forma, quia forma coniungitur materiae, ut perfectio eius, & ambe coniunguntur in natura communi: & simile est de partibus quantitativis, continuatis ad invicem, ita quod ex eis proveniat aliquid tertium, in quo due partes conveniant. Et vero quae uniuntur ad invicem, & non in aliquo uno, sunt sicut accidens & subiectum, ex quibus non efficitur unum per se, cuius subiectum & accidens partes dici possint.

Tertio, advertit, nullum ex his tribus modis hypostatice unioni convenire ex toto, sed aliquos ex parte tantum. Et quia, inquit, ut dicit Hilarius, comparatio terrenorum ad Deum nulla est, nec exemplum sufficiens rebus divinis ratio humana prestabit, sciendum est, quod nullus istorum modorum competit ex toto ineffabili unioni, quia Deus homini unitus est. Sed tamen aliqui istorum modorum, quantum ad aliquid, representant illum modum unionis.

Denique explicat asserit, primum & tertium modum unionis aliquatenus, secundum vero nullo pacto Deo convenire: sic enim prosequitur: Sciendum est ergo, quod modus istis, quo aliqua coniunguntur ad invicem, ut ex eis aliquid tertium resultet, omnino non potest Deo convenire, quia duo, quae coniunguntur secundum hunc modum, se habent ad tertium ut partes. Ratio autem partis, sicut & imperfecti, penitus a Deo removetur. Primum vero modum & tertium quantum ad aliquid, possibile est Deo convenire. Quod

Ostendit sic: In incarnatione enim, inquit, ex parte assumptis duo possunt considerari, scilicet persona, & natura. Si autem consideremus personam assumptam, sic coniungitur humana natura assumpta, tertio modo conjunctionis, quia persona divina sit persona huius naturae humanae, sed ex his duobus non resultat aliquid tertium: sicut nec etiam in Socrate ex persona eius & natura non fit aliquid tertium, sed persona eius in humana natura subsistit. Si autem consideremus naturam assumptam, sic conjunctio eius ad naturam humanam est secundum modum primum conjunctionis, in quantum due naturae in una persona conveniunt, quae in naturalibus proprietatibus nihilominus distinctae sunt: & ideo incarnatio insertioni comparatur. Sicut enim in insertionem in eodem trunco, in quo erat unus ramus per naturam, sit ramus alius per insertionem: ita in eadem persona, in qua naturaliter erat divina natura, est per unionem humana natura.

Itaque ex Angelico Doctore, neque divinitas, neque Verbum unitur cum humanitate, iuxta secundum unionis modum; ita ut ex divinitate, vel Verbo & humanitate, resultet aliquid tertium, seu aliquid totum substantiale, sicut resultat ex materia & forma unitis: sed solum divinitas unitur humanitati secundum primum modum unionis, quatenus cum humanitate in

Simonnet Theol. Tom. II.

una persona convenit, sicut in uno trunco conveniunt duo rami; vel, si vis, quatenus in una persona, in qua erat naturaliter divinitas, est per unionem humanitas; sicut in uno trunco, in quo erat naturaliter unus ramus, sit alius ramus per insertionem; unde incarnatio insertioni comparatur.

Persona vero Verbi unitur humanitati secundum tertium modum unionis, sicut subiectum unitur accidenti, quatenus sicut per unionem accidentalem subiectum fit subiectum accidentis, & accidens fit accidens subiecti, sic tamen ut ex utroque non resultet aliquid tertium: ita per unionem substantialem persona Verbi fit persona naturae humanae, & natura humana fit natura personae Verbi; sic tamen ut non resultet aliquid tertium ex persona Verbi & humana natura, sicut etiam v.g. in Socrate non fit aliquid tertium ex persona eius, & natura humana, sed solum persona eius in humana natura subsistit.

Doctrinam hanc luculenter exponit etiam sanctus Doctor opusculo 2. cap. 211. Quia, inquit, persona, hypostasis, & suppositum designant aliquid integrum, si divina natura in Christo est ut pars, & non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae (subsistentis in Verbo) sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut & in homine persona, hypostasis, & suppositum est, quod ex anima & corpore constituitur. Sed quia divina natura (in Verbo subsistens) est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quendam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se tenet ex parte divinae naturae (in Verbo subsistentis) & similiter hypostasis & suppositum: anima vero & corpus trahuntur ad personalitatem personae divinae, ut sit persona Filii Dei, sicut etiam persona filii hominis, & hypostasis, & suppositum.

Doctrinam hanc illustrat exemplo in hunc modum: Potest autem, inquit, huiusmodi exemplum aliquale in creaturis inveniri; subiectum enim & accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquid tertium constituitur, sed est integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, & suppositum: accidens autem trahitur ad personalitatem subiecti, ut sit persona eadem hominis & albi, & similiter eadem hypostasis, & idem suppositum. Sic igitur secundum similitudinem quandam, persona, hypostasis, & suppositum Filii Dei est persona, hypostasis, & suppositum humanae naturae in Christo. Ex quibus sic concludit sanctus Doctor: Patet igitur ex praemissis, quod in Christo non est alia persona nisi aeterna, quae est persona Filii Dei, nec alia hypostasis, aut suppositum: unde cum dicitur, hic homo, demonstrato Christo, importatur suppositum aeternum.

Itaque ex sancto Thoma, Verbum est in Christo aliquid integrum, aliquid totum, & non pars, seu extremum componens. Item persona Christi se tenet tantum ex parte Verbi, & non est aliquid constitutum ex tribus, Verbo scilicet, corpore, & anima; sicut in homine persona ex corpore & anima constituitur. Item per unionem hypostatice corpus & anima trahuntur ad personalitatem Verbi, ut sicut est persona Filii Dei, ita sit persona filii hominis, non vero ut ex eo & corpore cum anima componatur nova aliqua persona.

Item sicut subiectum & accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquid tertium constituitur, sed accidens, puta albedo, per unionem accidentalem trahitur ad personalitatem hominis cui unitur, ut sit persona eadem hominis & albi: ita per similitudinem quandam, vi unionis hypostatice, humanitas trahitur ad personalitatem Verbi, non ut sit tertium aliquid ex eis constitutum, sed ut sit persona eadem Filii Dei & hominis; unde sit, ut qui antea erat Deus tantum, iam sit Deus & homo. Denique in Christo non alia persona est, nisi aeterna, quae est persona divina Verbi; & cum, demonstrato Christo, dicitur, Hic homo, importatur suppositum aeternum, nempe Verbum, non vero novum aliquid suppositum, ex Verbo & humanitate constitutum.

II 4

Prob. 2.

*Prob. 2.* Ratione sancti Thomae, & aliorum veterum Doctorum. Si persona Christi est aliquid tertium, constitutum ex Verbo & humanitate, Verbum est pars illius personae. Atqui implicat Verbum esse partem; nam pars multiplicem imperfectionem essentialiter involvit. Ergo, &c. Minorem admittunt adversarii, sed negant sequelam maioris; pro quo distinguunt inter extremum componens & partem, asseruntque ex maiore sequi tantum, quod Verbum sit extremum componens cum humanitate personam Christi, non autem quod sit illius pars. Sed contra est, quia manifestum videtur ex terminis, extremum componens, quā tale, esse essentialiter partem, atque ita distinctionem adversariorum esse merum effugium.

Et verò si persona Christi est aliquid tertium ex Verbo & humanitate constitutum, Verbum non unam tantum, sed omnes, aut ferè omnes partis imperfectiones habet, ut facile potest ostendi. Nam 1. Verbum etiam substantialiter ab alio extremo componente, nempe ab humanitate, complebitur in ordine ad constituendum illud tertium, sicut vicissim humanitas ab ipso Verbo: quemadmodum corpus & anima se mutuo complent in ordine ad constituendum illud tertium quod ex eis resultat, nempe homo: impossibile enim est, quod duo extrema constituent aliquid tertium substantiale, quin se mutuo compleant substantialiter in ordine ad illud constituendum. Unde

2. Verbum post incarnationem desinet esse aliquid in se totum & integrum: illud enim desinet esse in se totum & integrum substantiale, quod ulterius ab alio substantialiter, in ordine ad constituendum aliquid tertium substantiale, completur, ut patet in gutta aquae, quae separata ab omni alia, est aliquid totum & integrum; unita verò alteri guttæ desinet esse aliquid totum & integrum, quia à gutta illa, cui unitur, completur substantialiter in ordine ad constituendam tertiam guttam. Similiter anima rationalis, quae separata à corpore, secundum probabilissimam sententiam, est aliquid in se totum & integrum, non est aliquid in se totum & integrum, unita corpori; quia ab illo substantialiter completur, sicut & illud substantialiter complet in ordine ad constitutionem alicuius tertii substantialis, quod est homo. Hinc

3. Verbum post incarnationem desinet esse persona, quia desinet esse aliquid in se totum & integrum. Item Verbum dependebat ab humanitate in ordine ad constituendam personam Christi: nam revera constituet illam dependentem ab humanitate. Item persona Christi erit quoddam totum respectu Verbi, sicut respectu humanitatis: aliquid enim tertium, ex duobus unitis constitutum, est necessariò totum respectu illorum: atque ita Verbum se habebit ad personam Christi, ut contentum ad continens, & habitum ad habens. Item, Verbum non erit suum, nec sui juris, sed alterius, nempe tertii, ex eo & humanitate constituti. Denique Verbum ager ut quo tantum; tertium verò, ex eo constitutum, ager ut quod, cuius proinde Verbum erit instrumentum.

*Confirm.* Quia 1. si persona Christi esset aliquid tertium, ex Verbo & humanitate constitutum, certè illud tertium simpliciter inciperet esse; sicut homo hodie constitutus ex anima & corpore, sive per possibile, sive per impossibile existentibus ab aeterno, simpliciter inciperet esse. Atqui si persona Christi simpliciter inciperet esse, esset persona simpliciter temporanea, quod falsum est, & absurdum. Ergo, &c. Hæc ratio est S. Bonaventuræ in 3. dist. 6. art. 1. qu. 2.

2. Si persona Christi est aliquid tertium constitutum ex Verbo & humanitate, Verbum non est persona Christi: nam extremum componens non est compositum, sed pars illius; sic anima non est homo, sed illius pars. Item Verbum non est homo: nam unum extremum componens non denominatur à corpore. Sed hæc sunt falsa, & absurda. Ergo persona Christi non

est aliquid, ex Verbo & humanitate constitutum, adeoque composita non est compositione absoluta.

## RESPONSIO II.

Persona Christi censeri tamen debet, & simpliciter dici composita.

Ita sentit D. Thomas hic q. 2. a. 4. in O. & probatur 1. ex Patribus, pro quibus omnibus hic unus erit sanctus Damascenus, lib. 3. orthodoxæ fidei, cap. 7. ubi ait: *Incarnatus est igitur (Filius Dei) assumptis massæ nostræ primitiis, hoc est, carne una cum anima ratione & intelligentia prædita; ita ut ipsa Dei Verbi hypostasis carni hypostasis existeret, compositaque facta sit Verbi persona, quæ prius simplex erat; composita, inquam, ex duabus perfectis naturis, nempe divinitate & humanitate.* 2. Auctoritate Conciliorum, pro quibus omnibus hic erit quintum generale collatione 8. can. 4. ubi anathematizantur ii, qui non consentunt unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, & idèò unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus.

*Prob. 3.* ratione. Nam re ipsa persona Christi composita est secundum rationem subsistendi: ea enim persona rectè dicitur composita secundum rationem subsistendi, quæ subsistit in pluribus naturis; sicut ea rectè dicitur simplex secundum rationem subsistendi, quæ in una tantum natura subsistit. Ita ratiocinatur S. Thomas hic q. 2. a. 4. in O. *Dicendum, inquit, quod persona sive hypostasis Christi dupliciter potest considerari: uno modo secundum illud quod est in se, & sic est omnino simplex, sicut & natura Verbi. Alio modo secundum rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura; & secundum hoc, persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia & alia ratio subsistendi, & sic dicitur persona composita, in quantum unum duobus subsistit.*

Præterea, quod eodem redit, persona Christi composita est secundum primum modum unionis de quo supra: nam duæ naturæ, divina & humana, in ea conveniunt. Atqui duæ naturæ in una persona convenientes, rectè dicuntur eam componere. Hanc autem compositionem sanctus Thomas articulo proximè citato ad 2. vocat compositionem ratione numeri, hoc est, ratione plurium distinctorum, in uno & eodem concurrentium.

Denique, persona Christi composita est secundum tertium modum unionis, de quo supra. Nam natura humana per unionem hypostaticam fit natura personæ Verbi, sicut accidens per unionem accidentalem fit accidens subjecti: unde sicut accidens rectè dicitur componere subjectum, cuius fit accidens; ita natura humana rectè dicitur componere personam Verbi, cum fiat natura illius; rectè, inquam, dicitur componere personam Verbi, seclusis imperfectionibus, quæ comitantur compositionem subjecti per accidens.

*Dices.* Compositiones illæ omnes sunt improprie tantum compositiones. R. eas revera ita appellari à sancto Bonaventura, & ab aliis antiquioribus: sed melius cum S. Thoma, eas dicimus proprias compositiones: quamvis maximè propria & strictissima compositio dicenda esse videatur sola compositio absoluta; quam compositionem huius ex his vocat Durandus, quia vi illius, aliquid tertium resultat ex pluribus unitis. Cum autem hæc compositio sola involvat essentialiter multas imperfectiones in componentibus, hæc Deo repugnat.

*Quæres,* quid sentiendum sit de Christo? R. de Christo idem sentiendum esse, quod de persona Christi. Ratio est, quia à recentiore quodam perperam distinguitur persona Christi à Christo: neque enim persona Christi à Christo plus distinguitur, quam v.g. persona Petri à Petro. Et verò quid est Christus, nisi Verbum homo, Verbum subsistens in natura divina & humana? At Verbum homo, Verbum in natu-

natura divina, & humana subsistens, est ipsissima Christi persona.

## ARTICULUS V.

*Proponuntur objectiones contra primam responsionem, & solvuntur.*

**O**bjicies 1. Concilium generale quintum can. 4. ubi definitur, unionem hypostaticam factam fuisse secundum compositionem, & ipsam personam Christi compositam esse. *Resp.* Non negamus unionem in Christo factam esse secundum compositionem, & ipsam Christi personam compositam esse ex duabus naturis: sed solum negamus, unionem illam factam esse secundum compositionem absolutam, & Christum compositum esse ex duabus naturis, unum aliquod tertium constituentibus. Itaque ex Conciliis, unio hypostatica est vera compositio, sed compositio hujus ad hoc, ut Durandus loquitur, quia totum aliquod & integrum, manens totum & integrum, unitur cum aliquo, quod ad ejus totalitatem trahitur, & verè sit illius; compositio secundum rationem subsistendi; compositio ratione numeri, seu ratione dualitatis naturarum, in una Verbi natura convenientium.

Item ex Conciliis, Christus est compositus ex duabus naturis, & quidem, ut loquitur Chalcedonense, in unam personam & unam subsistentiam concurrentibus. Concurrent autem in unam personam & unam subsistentiam, non quod constituent aliquod tertium, quod sit persona & subsistentia, sed quia per unionem, ut ait S. Thomas, natura humana inseritur personæ Verbi, cui naturaliter inest natura divina, atque ita eo ipso fit, ut duæ naturæ sint unius personæ, & una sit persona duarum naturarum.

*Dices.* Concilia docent Christum in duabus & ex duabus naturis subsistere. Ergo, &c. *Resp.* secundum Concilia & Patres, Christum subsistere ex duabus & in duabus naturis, non constituentibus aliquod tertium, sed convenientibus in una persona; ita ut persona quæ ante concursum naturarum unam tantum naturam habebat, post concursum habeat duas. Denique Christus est persona Verbi, duas naturas, divinam & humanam, habens; non haberet autem illas, nisi in unam Verbi personam concurrerent per unionem substantialem, & post concursum inconfusæ & integræ manerent: unde dicitur ex duabus & in duabus naturis subsistere.

**O**bj. 2. Symbolum Athanasii, in quo dicitur: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus.* *Resp.* In eo similitudinem esse, quod sicut anima rationalis, & caro concurrunt in unum hominem, ita divinitas & humanitas concurrunt in unum Christum: at in eo dissimilitudinem esse, quod anima rationalis & caro in unum hominem concurrunt, constituendo aliquod tertium substantiale, quod est unus homo; divinitas verò & humanitas in unum Christum concurrunt, quia duæ illæ naturæ sunt unius & ejusdem personæ, quæ est Deus & homo: homo quidem propter humanitatem, sibi substantialiter unitam in tempore; Deus propter divinitatem, sibi à Patre communicatam in æternitate; atque ita ex divinitate & humanitate unus est Christus, quia unus & idem Deus est per divinitatem, & homo per humanitatem; ad quod non requiritur, ut aliquod tertium ex divinitate & humanitate constituatur, sed sufficit, quod humana natura per unionem hypostaticam sit illius personæ, cujus est natura divina per communicationem & identitatem cum ejus personalitate.

**O**bj. 3. Sanctum Dionysium in lib. de divinis nominibus, cap. 1. ubi ait: *Ex qua (humanitate) ineffabiliter compositus est simplex Jesus.* *Resp.* Sanctum Dionysium aperte contrarium esse adversariis nostris: nam si simplex est Jesus, quomodo compositus est ex humanitate constituyente aliquod tertium

cum divinitate? Certe talis compositio excludit essentialiter simplicitatem. Itaque Jesus & simplex est, & simul compositus ex humanitate, quia eatenus ex ea compositus est, quatenus post incarnationem non solum in divinitate, sed etiam in ea subsistit, cum ante incarnationem in sola divinitate subsisteret. Item Jesus & simplex est, & compositus ex humanitate, quia ex ea & divinitate compositus est, non ut ex partibus aliquod tertium constituentibus, sed ut ex duabus naturis, convenientibus in una Verbi persona.

**O**bj. 4. Sanctum Augustinum: sic enim 1. loquitur in epist. 2. ad Volusianum: *Persona hominis mixtura est anime, & corporis; persona autem Christi mixtura est Dei & hominis.* 2. Lib. 13. de Trinitate cap. 17. *Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne.* 3. In Enchiridio cap. 38. *Utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis.*

*Resp.* Ad primum locum Augustini, patere responsionem ex dictis ad secundam objectionem. Ad secundum locum. *Resp.* Ex utraque substantia factam esse unam personam compositam in ratione subsistendi, & ratione numeri, seu dualitatis naturarum in ea convenientium: vel, si vis, ex utraque substantia factam esse unam personam, sed ex divinitate, ut constituyente, & ex humanitate, ut quasi modificante, dando esse hominis: sicut ex subjecto, & accidente fit unum album, ex subjecto quidem ut constituyente, & ex albedine ut modificante, & determinante ad tale esse accidentale. Ad tertium locum patebit responsio ex dicendis ad sequentem objectionem.

**O**bj. 5. Leonem Magnum in epistol. ad Julianum Coensem Episcopum, ita loquentem: *Cur autem inconveniens, aut impossibile videatur, ut Verbum, & caro, atque anima unus Jesus Christus, & unus Dei hominisque sit Filius, si caro & anima, quæ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi incarnatione personam, cum multo facilius sit, ut hanc unitatem sui atque hominis deitatis præstet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas?*

*Resp.* Unum Dei & hominis Filium esse in bono sensu Verbum, & humanitatem; sed Verbum in recto, & humanitatem in obliquo: Christus enim est Verbum homo, & Verbum est homo humanitate: sic in bono sensu album, v. gr. est subjectum, & albedo, subjectum in recto, & albedo in obliquo: nam album est subjectum habens albedinem.

Itaque sicut corpus & anima, collectivè sumpta, sunt unus homo; ita Verbum & humanitas, collectivè sumpta, sunt unus Christus, sed alio & alio modo: nam corpus & anima, collectivè sumpta, sunt ambo in recto unus homo, quia homo est totum ex illis ut partibus suis constitutum, totum autem est in recto suæ partes collectivè sumptæ. At Verbum & humanitas, collectivè sumpta, non sunt ambo in recto unus Christus, quia Christus non est totum ex illis, ut partibus suis constitutum; sed totum, nempe Verbum, habens humanitatem; sicut subjectum, & accidens, collectivè sumpta, non sunt ambo in recto album v. gr. quia album non est totum constitutum ex illis, ut partibus suis, sed est totum nempe subjectum, puta Socrates, affectus albedine.

Quod autem hac nostra responsione satisfiat Leoni Magno, patet ex ejus scopo: solum enim intendit, adversus Eutychem probare divinitatem & humanitatem post incarnationem manere inconfusas simul & indivisas, & ex illis inconfusis simul & indivisis resultare Christum; sive resultet ex illis, ut totum constitutum ex eis, quod volunt adversarii, sive ut totum, ad cujus totalitatem trahitur aliquid, ut nos cum S. Thoma, & aliis antiquioribus Scholasticis volumus: nam post verba quæ nobis objiciuntur, sic statim concludit S. Leo: *Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum caro mutata est: sed utrumque*

in uno manet, & unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, nec alter ex patre, alter ex matre; sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine seculorum. Sed

Hic obiter pondera, 1. hæc verba: *Nec alter ex patre, alter ex matre*, quæ falsa sunt, si Christus est aliquid tertium ex Verbo & humanitate constitutum. Pondera 2. verba illa: *Sed idem aliter ex Patre ante omne principium, aliter de matre in fine seculorum*, ex quibus apparet, eundem esse terminum utriusque generationis, æternæ scilicet & temporalis. At si Christus non est Verbum humanitatem habens, sed tertium aliquid substantiale, constitutum ex Verbo, & humanitate, terminus generationis temporalis non est Verbum, sed aliquid tertium substantiale, ex Verbo, & humanitate constitutum.

Itaque juxta S. Leonem: *Nec alter ex patre, nec alter ex matre (est) sed idem aliter ex Patre, &c. aliter ex matre, &c.* Quia idem planè, nempe Verbum, est terminus utriusque generationis, sed alio & alio modo: nam per generationem æternam accipit primum esse, nempe esse Verbi, quo constituitur simpliciter, & in esse totius, adedque in esse personæ. Per generationem verò temporalem accipit esse aliquid secundarium, nempe esse hominis, quo constituitur secundum quid, seu in esse subsistentis in humana natura.

*Obj. 6.* Maxentium in libro adversus Acephalos, cap. 17. ubi ait: *Ex divinitate, & humanitate esse credimus (Christum) tamquam totum ex partibus: partes autem Christi divinitas ejus & humanitas sunt, in quibus & ex quibus per se est.* Ad hunc Maxentii locum, non explicandum, sed corrigendum. R. Id quod habet S. Thomas in 3. dist. 6. qu. 2. art. 3. ad 4. *Quamvis compositio quantum ad aliquid salvetur in incarnatione Verbi, nullo tamen modo est ibi ratio partis: divinitas enim pars esse non potest propter imperfectionem, quæ est de ratione partis. Humana autem natura non potest esse pars, quia compositum non habet, vel etiam quia non causat (formaliter scilicet) esse personæ, quæ dicitur composita.*

*Obj. 7.* S. Damascenus libro 3. de fide orthodoxa cap. 19. ubi hæc habet: *Nam & due nature unus Christus est, & unus Christus due nature.* R. dist. Unus Christus due naturæ, ambæ in recto, Neg. Una in recto, sed divina, & altera in obliquo, nempe humana, C. vel, si vis, dist. sic. Unus Christus due naturæ, constituentes aliquid tertium substantiale, quod sit Christus, N. Unus Christus due naturæ, quarum una, nempe divina, cum proprietate relativa filiationis constituit illum simpliciter, seu constituit illum in esse totius, & hypostasis; altera verò, quæ, illo in esse totius & hypostasis constituto, trahitur ad ejus totalitatem, eamque quasi modificat, & determinat ad esse hominis, C. Bonitas hujus responsionis patet ex lib. 3. de orthodoxa fide, cap. 7. ubi hæc leguntur verba: *Ita ut ipsa Dei Verbi hypostasis carni hypostasis extiterit.* Igitur ex Damasceno, persona Verbi est hypostasis humanitati assumptæ, adedque est totum aliquid, & integrum respectu humanitatis assumptæ, cujus proinde nec est, nec potest esse compars; unde cum ea nec constituit, nec constituere potest aliquid tertium substantiale.

Supereft igitur, ut juxta S. Doctorem, unus Christus sit due naturæ concurrentes in una persona, Verbi scilicet, & unus sit; quia in una persona concurrunt; quam personam component in ratione subsistenti, hoc ipso quod illam in duabus naturis subsistere faciunt per concursum suum.

*Objicies* denique rationem. Compositio absoluta, quæ est compositio hujus ex his, aliud non est, quam realis conjunctio extremorum, realiter distinctorum, ad constituendum unum per se simpliciter. Atqui in Christo habetur talis conjunctio, Ergo, &c. R. neg. min. Nam in Christo Verbum & humanitas non con-

junguntur ad constituendum unum per se simpliciter, hoc enim est impossibile; sed ut persona subsistens in natura divina, subsistat etiam in humana, & ita una & eadem persona sit Deus & homo.


*At inquit 1.* Ubicumque est compositio hujus ad hoc, est etiam compositio hujus ex his: sic v.g. non potest dari compositio albedinis ad parietem, quin exurgat aliquid tertium ex illis constitutum. R. neg. maj. universaliter sumptam, & ejus exemplum. Sed ad pleniori difficultatis solutionem.

*Nota.* Duplex distingui potest compositio hujus ad hoc. Prima est compositio partis ad partem; & ubicumque est talis compositio, est etiam compositio hujus ex his. Secunda est compositio alicujus totius ad aliquid, quod trahitur ad ipsum, & sit ipse, ut compositio subjecti ad accidentem, & suppositi ad naturam aliquam; & cum tali compositione numquam est compositio hujus ex his. At compositio hujus ad hoc, quæ reperitur in Christo, est compositio totius, seu suppositi divini ad naturam humanam, quæ trahitur ad ejus totalitatem, & sit natura illius. Ergo, &c.

*At inquit 2.* Omnis unio essentialiter ordinatur ad faciendum aliquid unum ex extremis: non unum simplicitate: ergo unum compositione. Ergo, &c. Resp. neg. antec. Nam unio accidentis cum subjecto non ordinatur ad faciendum unum ex subjecto & accidente, sed ad faciendum, ut accidentem sit suum subjecti, & subjectum per accidentem tali modo se habeat; sic pariter unio personæ Verbi cum humanitate non ordinatur ad faciendum aliquid unum simpliciter ex Verbo & humanitate, sed ad faciendum, ut humanitas sit sua personæ Verbi, & persona Verbi sit homo per humanitatem.

*At inquit 3.* Christus vel est unum per se, vel unum per accidentem. Non est unum per accidentem. Ergo est unum per se: ergo est aliquid tertium constitutum ex Verbo & humanitate. Resp. neg. secundam consequentiam. Nam Christus est unum per se: non quia est aliquid tertium, ex Verbo & humanitate constitutum, sed quia est suppositum divinum: nam omne suppositum est unum per se.

*At inquit 4.* Christus, quia Christus, est unum per se simpliciter: ergo quia Christus, est aliquid tertium constitutum ex extremis. Resp. neg. ant. Nam Christus, quia Christus, est suppositum divinum subsistens in humana natura, ac proinde non est unum per se simpliciter, sed unum per se cum addito, unum scilicet per se existens in natura sibi addita: sic album, quia album, non est unum per se simpliciter, sed unum per se cum addito, nempe suppositum tali modo se habens, unum per se modificatum. Christus igitur non est aliquid tertium substantiale, ex Verbo & humanitate constitutum, sed persona Verbi subsistens in humana natura: unde Christus dicit quidem Verbum & humanitatem, sed Verbum tamquam aliquid totum substantiale, & humanitatem tamquam aliquid, quod est in illo toto, & illius per unionem substantialem.



## DISPUTATIO IV.

*De persona assumente, & natura assumpta.*

### ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum sola persona Verbi assumpsit humanitatem?*

#### RESPONSIO.

**S**ola persona Filii assumpsit humanitatem.

*Prob. 1.* Generaliter ex Scripturis, Symbolis, Conciliis, & Patribus: quoriscumque enim loquuntur de mysterio Incarnationis, de sola persona Filii dicunt, quod incarnata sit: hoc autem de sola persona